



DISPUTATIONUM FEU-
DALIUM

38 / 389

TERTIA:

1622, 2.

~~LXXII~~

DE MATERIA SEU
REBUS IN QUIBUS FEU-
DA CONSTITVNTVR: VT ET

Formâ seu Naturâ & Qualitatibus eo-
rundem constitutorum:

Quam

Divina favente Gratia:

*In Amplissima Studiorum Vniuersitate
Argentoratensi:*

SUB PRÆSIDIO

GEORGII-DAVIDIS
LOCAMERI J. U. DOCTORIS ET
PROFESSORIS OR-
dinarij:

Publicè & Solenniter instituet

PHILIPPUS BERCHTOLDT NEOBURGO-Palat.

*In Auditorio majori
Mensis Martij die*



ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXII.





VIRIS

NOBILIBUS, AMPLISSI-
MIS ET CONSUL-
tissimis:

Dn. ANDRÆ FORSTENHEUSERO Jcto, Consiliario Pa-
latino, & Ducatus Neoburgici, nec non Nobilissimorum
Franconia Equitum des Orts Altmühl Advocato specta-
tissimo, vigilantissimo: Dn. Avunculo Parentis loco vene-
rando:

Dn. JUSTO MEIERO Jcto celeberrimo, & Facultatis Juridi-
cæ apud Argentinenses Seniori meritissimo: Dn. Præcepto-
ri, Promotori & Patrono reverendo:

Dn. GEORGIO ZÖSCHLIN, Consiliario Palatino & ærarij
Præfecto dignissimo: Dn. Cognato ætatem observando:

Dn. JOHANNI GEORGIO FORSTENHEUSERO J. V. D.
& Consiliario Palat: Consobrino suo dilectissimo:

UT ET

PEREGRINATIONIBVS AC MVLTARVM
rerum Politicarum usu Conspicuo,

Dn. JOHANNI GEORGIO KIPSIO &c. amico & Fautorij
singulariter honorando:

Exercitium hocce Feudale:

In

*Perpetua gratitudinis testimonium Observantia Sacramen-
tum & ulterioris favoris demerendi symbolum.*

D. D. D.

PHIL. BERCHTOLDT.



T H E S I S . I.

St nunc, ut secundum propositionem antehac factam, de Materia seu Rebus in quibus (a) feuda constituuntur, itemq; de Forma, seu Natura & Qualitatibus (b) eorundem constitutorum, hac disputatione videamus.

(a) Tùm ut Subjectis, quæ feudis, veluti juribus quibusdam, substernuntur: ut videre est in feudis rerum corporalium, ubi non tam res ipsa, quam jus quoddam rei feudali inherens, Vasalli efficitur: exemplo Vfusfructus à Domino proprietatis alicui concessi: *lib. 2. F. tit. 23. in quib. caus. feud. amit. in fin. l. necessariò. 8. §. ult. ff. de peric. & com. rei vend. Add. tamen lib. 2. F. tit. 8. de investit. de re al. §. Rei autem.* Tùm ut Materia Ex qua: ut contingit in feudis rerum incorporalium seu jurium: ubi res in feudum concessa, non omninò à jure feudi distinguitur, sed veluti pars quædam juris feudalis habetur, & per se tota ad Vasallum transfertur: exemplo Vfusfructus ab Vfusfructuario alij concessi: *lib. 2. F. tit. 56. quæ sint Regal. d. l. 8. §. ult. de per. & com. rei vend. Add. tamen l. si ususfructus. 66. in fin. ff. de Iur. dor.* Tùm deniq; ut Objectis: ut fit in feudis camerae & cavenæ: ubi ex feudo non res ipsa, sed ejus tantùm petendæ obligatio, adeoq; non jus in re sed ad rem Vasallo acquiritur: exemplo obligationum aliarum omnium. *lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. §. si verò Vasallus. l. 3. pr. ff. de Obl. & Act.*

(b) quibus sc. feuda, tùm ab aliis Juribus omnibus, tùm à seipsis invicem differant.

A 2

II.

Res igitur quod attinet, in feudum (a) dari possunt
 eæ omnes, quæ alienari (b) possunt (c:) sive sint
 Ecclesiasticæ (d) sive Secularæ; (Vnde distinctio (e) feu-
 di in Ecclesiasticum & Seculare.) Publicæ (f) sive Pri-
 vatæ; Propriæ (g) sive Alienæ (h;) Mobiles (i) sive
 Immobiles: Quæ autem ex prohibitione sive hominis
 (k) sive legis (l) alienari non possunt; eæ nec in feu-
 dum dari possunt. (m)

(a) quod hîc in genere & quaecunque, non proprium
 tantum, accipimus.

(b) Est enim feudi concessio alienatio quædam. *lib. 2. F. tit. 3.*
per quos fiat investit. in fin. pr.

(c) non solum per se, ut sc. in commercio sint: §. *idem juris. 2.*
Inst. de Inut. stip. sed etiam respectu personarum feuda constitu-
 entium; ut videl. & ejus qui feudum concessurus est potestati ac
 alienationi liberæ subiaceant: *t. 1. Inst. quib. al. lic. vel non. qua de re*
supr. disp. 1. th. 12. & seqq. & in ejus qui feudum accepturus est com-
 mercio existant ita ut ejus fieri possint. *l. multum interest. 34. ff.*
de V. O.

(d) dummodo hæc vel in feudari sint solitæ; *lib. 1. F. tit. 1. princ.*
ibi, si antiquitus consuetudo. & tit. 6. Episc. vel Abbat. in fin. pr. add.
supr. disp. 1. th. 20. vel cum solennitatibus Canonicis, h. e. tractatu,
consensu, sigillatione & subscriptione Capitulari in feudentur.
c. sine exceptione. 12. q. 2. c. 1. de his que sunt à præl. Gail. 2. obs. 161. n. 3.

(e) quam ita ex rerum, & non personarum qualitate ducen-
 dam esse, probat Obr. *tract. feud. lib. 1. c. 5. n. 92. ex lib. 2. F. tit. 35. de*
Cler. qui invest. fac. & tit. 40. de Capit. Corrad. §. ult.

(f) veluti res Imperij seu Regni: servato tamen moderami-
 ne, ne vel in præjudicium regni, vel contra honorem regis id fi-
 at. *c. intellecto. 33. de Iurej. add. supr. disp. 1. th. 23.*

(g) sive eæ in solidum unius sint propriæ; de quibus mi-
 nor dubitatio: *arg. l. in re mandata. 21. C. mand. sive cum alio com-*
munes, adeoq; utriusq; propriæ; l. 2. C. de serv. com. man. l. illud. 46.
ff. de

ff. de rit. nupt. quarum (ante acceptum Judicium divisorium. l. alienationes. 13. *ff. fam. erc. l. 1. C. com. div.*) ab utrolibet factam alienationem ratam esse, constat ex *tit. C. de com. rer. alien.* & in specie de infeudatione testatur textus in *lib. 2. F. tit. 58. de not. feud. §. item sciendum.* hoc effectu, ut Vasallus ab alterius alicujus socio investitus, vel rem ipsam communiter cum altero socio teneat, sicut socius infeudans tenuit; vel per divisionem, sive sponte sua & volente altero, sive per Judicem (*fac. lib. 2. F. tit. 26. si de feud. def. cont. §. si Vasallus. & tit. 43. de contro. int. Vasall.*) à communione discedat: nulla præscriptione ipsi contra socium, vel socio contra ipsum, quo minus adæquatio sit, (h. e. vel communio ipsa duret, vel rei communis æqua divisio fiat.) nisi post 40. annos (quod hîc singulare, cum aliàs communiter 30. anni sufficiant) concedenda. *d. §. item sciendum.*

(b) non quidem omninò utiliter. *arg. l. nemo. 54. ff. de R. I. t. r. C. de reb. al. non alien.* sed tamen ad hunc effectum, ut rem in feudum concedens (sive Dominus sit, sive Vasallus: secundum proposita *supr. disp. 2. th. 2.* de evict. one teneatur accipienti, si videl. ignorans, non si sciens (nisi hic specialiter sibi de evictione prospexerit) res alienas ab altero acceperit. *lib. 2. F. tit. 8. de invest. de re al. in pr.*

(i) Hoc tamen evidenti cum discrimine; quod res immobiles in feudum proprium: mobiles verò in improprium tantum concedi possint. Hac nempe ratione, quod proprii feudi natura sit ea, ut & salvâ rei substantiâ fructû ferat, *lib. 2. F. tit. 23. in quib. caus. feud. amitt.* & in seros usq; Vasalli nepotes extendi possit. *lib. 1. F. tit. 1. §. hoc quoq; sciendum.* Quorum cum neutrum in rebus mobilibus facile inveniatur, mirû etiam non est, quare pro feudi subjectis idoneis eadem non agnoscat. *lib. 2. F. tit. 1. de feud. cogn. §. ult.* Quod autem & in rebus mobilibus aliquod & saltem improprium feudum consistere possit, patet ex eo, quod & istæ fructum seu utilitatem aliquam ferant ac præbeant; §. *constituitur. 2. Inst. de V. usufr.* & modo etiam aliquo salvam habere substantiam possint: *exem. l. si usufr. 9. §. si vestis. 3. ff. usufr. quemadm. cav. & perpetuitatē deniq; Juris feudalis sustinere possint tamdiu quâ-*

A 3 diu

diu illæ ipsæ sunt duraturæ: quo ipso quid ulterius nec in feudis
rerum immobilium requiritur aut esse potest. *arg. princ. Inst. de
usufruct.*

(k) testatoris fortè, vel inter vivos contrahentium, resq; su-
as alienantium hac lege, ne ab Ecclesia v.g. aut extra familiã, cui
relictæ vel datæ sunt, deinceps alienentur, *l. ul. C. de reb. al. non al.
l. ult. C. de pact. int. emp. Nov. 120. c. 9. l. filius. ff. de Leg. 2.*

(l) *d. l. ult. C. de reb. al. non alien. veluti res sacræ, sanctæ, religio-
sæ, publicis usibus destinatæ: §. idem iuris. 2. Inst. de inutil. stip.
tituli & decimæ: lib. 1. F. tit. 6. Episc. vel Abbat. in pr. c. ad hæc. 15. cum
simil. de decim. & primit. (nisi quod accessionis vice, etiam res
divinæ cum aliis in feudum dari possint. *arg. l. in modicis. 24. ff. de
contr. empt. & tituli etiam ac decimæ propter in feudationem
Synodo Lateranensi antiquiorem, (qualis ex immemoriali tem-
pore præsumitur.) porro etiam feudi nomine, & à Laicis, tene-
ri queant. d. lib. 1. F. tit. 6. c. cum Apostolica. 7. de his quæ fiunt à prel.)
prædium dotale: pr. Inst. quib. al. lic. res litigiosæ: l. 2. l. ult. C. de
Litigios. res fideicommissio subiectæ. l. ult. §. sed quia. 2. C. Commun.
de Legat. &c.**

(m) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. sed & res.*

III.

QUÆRI porrò circa præmissa potest PRIMò: An
feudi, de re, quam accipienti habere non licet, fa-
cti, æstimatio debeatur? Disting.

Si enim ita habere non liceat, quòd accipiens istius rei com-
mercium & dominium (quod ad jus refertur *in l. stipulatio. 38.
§. hic qui sunt. 6. ff. de V. O.*) habere non possit, tunc neq; æstima-
tio ei debebitur. *l. multum interest. 34. ff. de V. O. §. non solum. 4.
Inst. de Legat. Sin ita, ut possidere tantum (quod ad factum re-
fertur. *d. l. 38. §. 6. de V. O.*) non liceat, tunc nihilominus æstima-
tio debebitur. *fac. l. filiusfam. 114. §. si quid alicui. 5. l. sed si res aliena.
40. ff. de Legat. 1.* Obligabitur autem (ut hoc obiter addamus)
Vasallus æstimationem accipiens, perinde ac si feudum ipsum
accepisset: quippe cum æstimationem in comparationem feu di
alius*

alius convertere, & ab eodem etiam Domino aliud protinus feudum exigere potuisset. *lib. 2. F. tit. 25. si de feud. Vasall. ibi, feudum restituat vel numos. & tit. 8. de investit. de re al. in princ.*

IV.

DEINDE: An quælibet res Ecclesiasticæ, etiam post Concilium Lateranense, infeudandi consuetudinem recipere possint, ita ut absq; consensu Papæ & Capituli in feudum dari queant? Affir.

Cum enim res ad Ecclesiam pertinentes omnes, vel sint in proprio Ecclesiæ patrimonio, adeoq; in commercio; ut pleræque: vel per se quidem Jurisdivini & extra commercium sint, Jure autem singulari ad Ecclesiam pertineant: ut res sacra, decimæ &c. Illas quidem evidentis utilitatis; Has verò urgentis necessitatis causa, consensu Papæ & Capituli infeudari, & ex ejusmodi infeudationibus, infeudandi tandem consuetudinem (quam arbitrio Judicis æstimandam relinquimus. *l. 1. C. que sit long. conf.*) recipere dicemus. *per l. privilegia. 17. l. sancimus. 21. C. de SS. Eccles. & reb. ear. l. quod favore. 6. C. de Legib. l. quod non est. 4. de R. I. adeò ut & deinceps, licet ad Ecclesiam iterum reversæ sint, de novo, & absq; novis solennitatibus infeudari possint. lib. 2. F. tit. 35. de Cler. qui investit. & tit. 91. de Invest. vet. & nov. benef. & allegat. supr. th. 2. lit. d. dummodò sc. eadem adhuc utilitatis vel necessitatis ratio duret: aliàs secus, arg. l. quod dictum. 32. ff. de pact. add. disp. 1. th. 20.*

V.

TERTIO: An is qui feudum alienum ab ipso feudum Domino purè accepit ignorans, perinde evictionis nomine obligatum habeat cōcedentem, ac si rem prorsus alienam ab eo in feudum accepisset? Affirm.

Quod eadem utrobique ratio occurrat, & tam is qui de alieno feudo, quam is qui de re prorsus aliena quem investivit, vacuum rei possessionem investito tradere teneatur: *per textus indistincte*

stinctè loquentes. lib. 2. F. tit. 8. de Invest. de re al. in princ. & §. ult. & tit. 26. si de feud. def. cont. §. si facta. adeoq; meritò idem etiam utrobq; jus statuatur. arg. l. illud quasitum. 32. ad L. Aquil. Nec turbet textus lib. 1. F. tit. 9. qui success. ibi, non valet habita investitura. accipiendus quippe eodem sensu, quo & feudum de re prorsus aliena datum, non valere dici potest. not. supr. th. 2. lit. h. vid. Obr. tract. feud. cap. 3. n. 57. & seqq.

VI.

QUARTÒ: An & in rebus ipso usu consumptibilibus, veluti subjecto aliquo, feudum constitui possit?
Affirm.

Eâdem sc. ratione, quâ & ususfructus in ijs consistere potest: Non verè nimirum, sed quasi tantùm & ita, ut Vasallus pro se & heredibus, Domino & heredibus ejus caveat, de ejusdem generis rebus, eodem numero, pondere vel mensura, in casu quo feudum aperiretur, & ad Dominum rediret, restituendis. *l. 1. ff. de Vsufr. ear. rer. junct. lib. 2. F. tit. 23. In quib. ca. feud. am. v. ult.* Quin imò & hoc ampliùs dicemus, quòd dari possit alicui pecunia hac lege, ut vel ipse accipiens, vel ejus etiam heredes, danti ejusvè heredibus, sive in perpetuum & ad dies vitæ, sive ad certum usq; tempus, eodem jure quo Vasallus Domino, teneantur: mortuis autem aliquando personis obligatis, aut tempore de quo convenerat elapso, ipsi danti nihil restituatur: idq; propter ipsam legem conventionis. *exem. l. venditor. 13. pr. ff. com. prad.* Qua ipsa ratione & illud tuebimur, quod validè conveniri sic possit, ut pecunia ex venditione rei feudalis redacta, ejusdem juris & naturæ habeatur, cujus res ipsa fuisset. *exem. l. Lucius. 88. §. Insulam. 14. ff. de Legat. 2.*

VII.

QUINTÒ: An & quatenus pecuniâ velut in feudum datâ, pœnitere is qui dedit vel accepit, & pecuniam vel ab invito altero repetere, vel invito ei restituere, atque ita ab obligatione feudali sese liberare, possit?
Disting.

Aut

Aut enim pecunia data est ita, ut licet ea iure feudorū pro-
prio haberi non possit, vi tamen conventionis iure feudorum
aliquo censeatur: & accipiens quidem restituere eam invito
alteri, atque ab obligatione liberare se poterit: *arg. lib. 2. F. tit. 38.*
de Vasall. qui cont. constit. Lothar. dans verò ab invito altero, ac
servire parato, repetere eam non poterit, licet res adhuc sit inte-
gra, nec dum ipsius accipientis quicquam interfit. *arg. lib. 2. F.*
tit. 26. si de feud. content. §. si facta. Aut ita, ut citra omnem feudi
rationem, pecunia fiat accipientis, ipse autem vicissim faci-
at ea quæ à Vasallo erga Dominum requiri noscuntur: & tunc
velut in contractu innominato, danti quidem liberum erit, re
adhuc integrâ, pecuniam ab invito altero repetere, licet in su-
turum utilius accipienti esset stari contractui: *l. si pecuniam. §. pr.*
ff. de condict. caus. dat. accipiens verò, invito dante, pecuniam
restituere, & ab obligatione liberare se non poterit, nisi id insu-
per quod ipsius dantis interesset, præstiterit. *l. naturalis. §. 1. l. si*
tibi decem. 7. ff. de præscr. verb. Aut deniq; ita, ut pecunia propriè
sit feudalis: idq; factum est vel ab eo, qui, feudum in pecunia
propriè consistere non posse, ignoravit: & sustineri actus non
tantum debet, *arg. l. quoties in Actionibus. 12. l. ubi est. 21. ff. de reb.*
dub. sed etiam poterit, & quidem ita ut habeatur pro contractu
innominato do ut facias, ea sc. ad quæ Vasallus Domino obligat-
ur: adeoq; repetitioni erit locus: *per paulo antè alleg. vel factum*
est ab eo, qui Jus illud feudorum scivit: & res incidet in cau-
sam donationis, proindeq; repetitionem nullam admittet. arg.
l. cuius per errorem. 53. ff. de R. I.

VIII.

Propriè autem & ut plurimum in feudum conce-
duntur res eæ, quæ & perpe uitatem aliquam habent,
& vel subinde vel jugiter fructum de sese ac utilitatem
sui aliquam præbent: (a) ut sunt (b) primùm res so-
li: ut territorium, fundus &c. deinde res solo cohæ-
rentes: ut urbs, castrum, sylva, domus, fluvius &c. po-
stremò res quæ immobilibus annumerantur: ut jura;
B quæ



quæ rursus vel consistunt in facultate exigendi percipiendiq; pensiones seu redditus à Domino aut ex re aliqua, ut de camera, de cavena, exemptione reddituum, negotiatione aliqua (c) &c. vel aliam quamcunq; habendi faciendive alicujus potestatem tribuunt: ut Regalia (d) tum majora (e) tum minor, (f) itemq; jus venandi, (g) habitandi, (h) jurisdictio, merum mixtumque imperium (i) &c.

(a) Quodd feudum regulariter ad heredes, etiam longissimo ordine descendentes, sit transitorium, *lib. 1. F. tit. 1. §. hoc quoq; lib. 2. F. tit. 23. in quibus caus. feud. amit. in fin. ibi, in perpetuum pertineat.* & ut ususfructus quidam prodesse debeat Vasallo ita ut pro beneficio agnosci queat. *d. t. 23. vers. hujus autem generis.*

(b) *lib. 2. F. tit. 1. de feud. cognit. §. ult.*

(c) ita ut Vasallus pro feudo habeat ipsam tantum obligationem, qua adversus Dominum ejusve heredem, aut tertium quendam possessorem, vel quasi, ipsius rei unde redditus proveniunt, agat ad hoc ut pensiones vel redditus sibi statutis temporibus solvantur. *fac. lib. 2. F. tit. 1. de feud. cognit. §. ult. & tit. seq. §. si vero Vasallus. & tit. 20. de contr. int. Episc. ibi, de annua prestatione. c. 1. & 2. de empt. vendit. in Extravag. Com.* Et vicinæ quidem hujusmodi exactionibus sunt illæ cessiones actionum, quibus Vasallus jus persequendæ rei alicujus singularis consequitur: differunt tamen ab iisdem in eo, quod illic jus ipsum per se, hinc autem magis res ipsæ actionibus istis petendæ, in feudum concessæ videri possint & debeant. *l. is qui actionem 15. ff. de R. I.*

(d) à Rege seu Imperatore (quem frequenter Regem appellant auctores feudorum) sic dicta: quod scilicet specialiter ad ipsius Imperatoris & Imperij dignitatem & utilitatem conservandam faciant, nec alij quam ipsi Imperatori & his quibus Imperator ea concessit, pertinere possint. *lib. de pace Constant. compos. §. Volumus ut Regalia.* Et patent quidem Regalia ita late, ut etiam regales dignitates & Ducis v. g. Marchionis, Comitis &c. titulos, (qui interdum cum ipsis rebus seu territoriis alicui conferruntur

tuntur: *fac. lib. 2. F. tit. 55. de prohib. feud. alien. per Frid. §. Præterea ducatus. interdum per se, territoria aliunde habentibus, adjiciuntur. fac. lib. 1. F. tit. 14. de feud. March.) comprehendant: lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux. & d. lib. 1. F. tit. 14. & supr. disp. 1 th. 37. Hic autem subjectæ divisioni convenienter paulò strictiùs & pro juribus ab eo dignitatum genere distinctis accipienda sunt, ut seqq. declarant.*

(e) Quæ communiter definiuntur, quod sint quæ vel maxime ad ipsam dignitatem potestatemq; Imperatoris pertinent: ut sunt habere potestatem conferendi Ducatum, Marchionatum, Comitatum, Baroniam, Nobilitatem: *lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux. legitimandi spurios: Nov. 89. c. 9. restituendi famæ, notatos: l. 1. C. de sent. pass. concedendi veniam ætatis minoribus: tit. C. de his qui ven. at at. creandi Notarios: Dd. com. fac. ordinat. Cam. part. 1. tit. 39. absolvendi à juramento ad effectum agendi: l. ult. pr. ff. ad municip. ord. Cam. part. 2. tit. 24. Geil. 1. obs. 25. constituendi magistratus. lib. 2. F. tit. 56. quæ sint Regal. &c. Quæ ipsa tamen majora Regalia, rarò & parcissimè ab Imperatore in feudum dari aliis consueverunt. Obr. tract. feud. lib. 2. cap. 3. n. 97.*

(f) Quæ ad res fisci cum prærogativa quadam dignitatis augendas & conservandas pertinent: qualia sunt omnia ea quæ recensentur in *lib. 2. F. tit. 56. quæ sint Regal. excepto jure constituendorum Magistratum, quod ad majora retulimus lit. præce. & jure Monetæ, quod mixtâ quandâ causam habere, & tum de majoribus tum de minoribus participare, res ipsa loquitur. Et hæc minora regalia frequenter infeudari solere, ex usu quotidiano constat. Quanquã re ipsa & illud deprehendatur, quod nõ tam jure feudi & per modum investituræ veluti contractus alicujus, quã jure speciali, & per modum gratiæ seu privilegij, utriusq; generis regalia, plerisq; tribuantur & concedantur.*

(g) quod nõ inter Regalia computandũ sit, in utramq; partem communiter disputatur. Magis a. est, ut à Regalibus id ipsum distinguamus hac ratione, quod Regalia per se & quæ talia sunt, in signum præminentiæ alicujus, Imperatori & his quibus Imperator ea concessit, sint reservata: *lib. de pace Constant. §. Volumus ut Regalia. Ius autem venandi per se & quæ tale est, privatis*

B 2 etiam,



etiam, & quidem citra ullam dignitatis aut superioritatis principalis imminutionem, competere possit: ut arguit status Imperatorum eminentissimus etiam tum cum usus venationum adhuc liber esset omnibus. l. i. §. ult. & l. seqq. ff. de acq. rer. dom. ex accidenti autem & propter incommoda potissimum venationum cuiuslibet promiscue permissarum, & quod ista occasione vel maxime turbari pax publica potuisset, inductum primo & consuetudine postea obtentum sit, ut non nisi principes, & horum singulari permisso alij venari possent: fac. lib. 2. F. tit. 27. de pace tenend. §. si quis rusticus. vers. Nemoretia. l. si quisquam. 7. ff. de div. temp. præscr. vel si omnino jus venandi, solis hodie principibus acquisitum, inter Regalia numerandum sit, hoc tamen discrimen observemus, quod licet cætera Regalia, propter ipsum dignitatis argumentum, non facile communicentur, justamen venandi, ob antiquam sui naturam (ad quam res facile revertitur. exem. l. si unus. 27. §. pactus. 2. in fin. ff. de pact.) facile ad alium, & privatum etiam transire possit.

(h) fac. lib. 2. F. tit. 75. de condit. feud. non implet. & tit. 105. de feud. habit. l. si habitatio. 10. ff. de us. & habitat.

(i) Quæ jura perinde atq; Regalia de quibus supr. lit. d. in parenth. non tantum per consequentiam, & velut rebus aliis, territorio v. g. annexa, sed & per se in feudum dari posse, facile est intelligere. Et si verò & hæc jura inter Regalia numerari nonnulla ratione possint: lib. 2. F. tit. 56. quæ sint Regal. ibi. potestas constituendorum magistratuum. & l. i. ff. de offic. ejus cui mand. facilis tamen eorundem (jurisdictionis præsertim & mixti imperij) communicandorum ratio suadet, ut ea pro juribus singularibus, & à Regalibus separatis habeamus.

IX.

Incidunt autem de interpretatione potissimum rerum in feuda concessarum **DUBIA** præterea isthæc: **PRIMUM**, An territorio simpliciter in feudum dato, etiam jurisdictio data videri debeat? **Affirm.**

Et si

Et si enim Jurisdictio velut effectus, non oriatur ab ipso territorio, ut causâ, (quasi territorium jurisdictionem, sive ex se ipso natam, sive aliundè acceptam, alii alicui tribuat.) Sed omnis ea potestas personæ primò competat & non nisi à persona personæ concedi possit: *l. ult. ff. de off. pref. urb. junct. l. ult. ff. de jurisdict. t. t. ff. de offic. ejus cui mand.* Hæc tamen conjectura & interpretatio capi potest, quod dum quis alteri territorium concedit, eo ipso etiam potestatem terrendi seu imperandi, adeoq; & jurisdictionis concedat: *fac. l. pupillus. 239. §. territorium. 8. ff. de V. S. l. imperium. 3. ff. de jurisd. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 3. n. 66. ubi plures alleg. dummodò in illo ipso territorio sedes etiam sit propria, in qua jus illi reddi fuerit consuetum: secus si extra illud ejusmodi sedes sit locata: tunc enim in dubio, juris illi territorio reddendi potestas, penes antiquum sedis istius possessorem mansisse videbitur. id. Obrecht. in tract. de jurisd. cap. 8. n. 15. exemp. l. ad certam. 6. & l. pomum. 8. §. 1. ff. de servit.*

X.

SECUNDUM: An cum Castro simpliciter in feudum dato territorium etiam ejus venire intelligendum sit? Affirm.

Quod Castrum sit veluti caput Territorij seu corporis: adeoque hæc duo ita cohæreant, ut unum ab altero diremptum præsumi vix possit. *confirmat text. & autoritatib. Obr. in d. tract. feud. lib. 2. cap. 3. n. 75.*

XI.

TERTIUM An ex simplici Sylvæ vel fluvij in feudum concessione, jus etiam venandi vel piscandi concessum possit argui. Disting.

Aut n. sylvæ vel fluvij fructus ex venatione vel piscatione constat: ut de venatione loquitur *l. venationem. 26. ff. de usur.* & dici potest quod jus venandi vel piscandi Vasallo concessum præsumi possit: ne aliâs parum utilitatis ex feudo consequatur Vasallus: *fac. l. Divus. 22. ff. de us. & habit. & lib. 2. F. tit. 23. in quib. caus.*

B 3: feud.



feud. amit. vers. ult. Aut talis est sylva vel fluvius, ut etiam extra venationem & piscationem, fructum seu usum utilem & commodum, lignationis puta, irrigationis, molendinorum &c. præbere valeat: & eò difficilius præsumi poterit jus venandi vel piscandi, quò frequentius hodie ista jura ab ipsa sylva & fluvio distincta reperiuntur. Ista sanè ratio, qua aliqui ad arguendum jus piscandi concessum utuntur, quod pisces sint fructus & veluti pars fluvij *arg. l. fructus. 44. ff. de R. V.* sustineri vix potest: propterea quod licet pisces in fluvio seu aqua nascantur, non tamè ex fluvio seu aqua, sed potius generatione & multiplicatione sui generis, proveniant. *Genes. 1. vers. 22.* De feris autem, quod non sint fructus sylvæ, manifestior est doctrina. *l. usura. 121. ff. de V. S.*

XII.

QUARTUM: An Castro sublato seu perempto, vel arboribus vitibusvè extirpatis, vel fluvio exsiccato, territorium quod castri, vel solum quod sylvæ vineævè, vel alveus qui fluvij fuit, pro feudo adhuc teneri queat? Neg.

Est enim feudum in rebus ejusmodi constitutum, jus quoddam utendi fruendi, *lib. 2. F. tit. 23. in quibus caus. feud. amit. vers. ult.* quod corpore, in quo consistebat, sublato, & ipsum tolli necesse est. *princ. Inst. de usufr.* Tolli autem dicitur corpus usufructui subjectum, quando ita absimitur, ut ejus, quâ tale est & formaliter consideratur, pars nulla supersit, licet pars ejus materialiter considerati sit reliqua: *ut constat ex §. finitur. 3. in fin. Inst. d. t. fac. l. 1. §. quæ depositis. 5. ff. depo. l. nave. 36. ff. de evict. l. mortuo. 49. ff. de leg. 2. confer. §. sigrex. 18. Inst. de legat.* Et hæc vera erunt maximè tum cum ea quæ reliqua sunt per consequentiam tantum venerunt: *arg. c. accessorium. 42. de R. l. in 6. exem. §. si quis ancillas. 17. in fin. Inst. de legat.* non quando ea ipsa expressè & quasi per se considerata in feudum data fuerunt: *d. §. 17. Inst. de legat. l. si cui fundum. 5. ff. de instruct. vel instrum. leg.*

XIII.

QUINTUM: Vtrum generali concessione Regalium, majora etiam veniant; an verò minora tantum?

Post. Aff.

Est enim hoc regulare, quod Regalia omnia difficulter concedantur. Ideoq; ut in dubio & regulariter ex generali concessione omnium jurium Principi alicubi competentium, non veniunt ulla Regalia: ita etiam ex generali concessione Regalium, regulariter non nisi minora venire dicemus. *! semper in obscuris. 9. ff. de R. I.*

XIV.

SEXTUM: An criminalis jurisdictio & merum imperium, in Ducatu v. g. alicui concessum, extendat sese ad coercitionem delicti in via publica per istum Ducatum commissi? Neg.

Via enim publica est de Regalibus *lib. 2. F. tit. 56. que sint regal.* tum quoad dispositionem & dominium *fac. l. ad instructiones. 7. C. de SS. Eccles.* tum quoad protectionem: *ut arguit vel ipsum vectigal, quod quasi pro ista protectione recipi solet, Geit. 2. obs. 64. n. 4. nec tamen nisi jure regali recipi potest. d. t. 56. que sint regal.* Ac licet protectio quædam ac securitas viarum publicarum, quibuscunq; terrarum dominis & magistratibus commendata esse debeat: *arg. l. 3. l. congruit. 13. ff. de Offic. pref.* inde tamen inferri non potest, quod animadversio in facinorosos ibi delinquentes, ad ipsos ceu iudices ordinarios, absq; regali viarum, pertineat: cum integrum sit iis & deprehensos ad dominum superiorem remittere: *fac. l. 1. ff. de Offic. pref. urb. §. sed si quis. 10. & seq. Inst. de suspect. & instar cujuslibet publicam devotionem vindicare. tit. Cod. quand. lic. unicuique sine jud. vid. Rosenth. cap. 5. concl. 20.*

XV.

SEPTIMUM: An jurisdictione simpliciter concessa
veniat etiam mixtum imperium? Affirm.

Quia hæc duo & subjecti & objecti ratione ita coherent, ut
unum sine altero esse non possit. *l. j. in fin. l. ult. ff. de Offic. ejus cui
mand. l. 2. & 3. ff. de jurisdic.*

OCTAVUM: An ex omni seu omnimoda jurisdic-
tione, criminalis etiam jurisdic-
tione & merum impe-
rium concessum dici possit? Neg.

Toto enim genere distant Jurisdictio & Imperium. Hoc
namq; proximo suo genere est Potestas: *l. potestatis. 215. ff. de V. S.
l. imperium. 3. ff. de jurisd.* Illa verò proximo genere est Notio. *l. ait
prator. 5. ff. de re jud. l. notionem. 99. ff. de V. S.* Jurisdictio autem cri-
minalis, licet Jurisdictionis nomine contineatur: hoc tamen
singulare habet, quod non nisi specialiter aliquibus concedi so-
leat: adeoq; generalia aliqua concessione venire vix possit. *l. 1. ff.
de Offic. ejus cui mand.*

HActenus de Materia: sequitur DE FORMA FEUDORUM:
quæ quidem, perinde ac aliæ res pleraq; ex se ipsa
cognosci & aperte satis proponi vix potest; sed ex effe-
ctibus potissimum cognoscenda & dijudicanda est:
quàm tamen fieri potest commodissime, ita concipie-
tur, quod sit jus sub mutua fidelitate constitutum (a.)
ita ut differentia specifica, qua feudum ab aliis juribus
omnibus distinguitur, sit ipsa fidelitas mutua. (b.)

(a) quam definitionem supr. *disp. 1. th. 1.* proposuimus: hîc
autem repetimus propterea, quod forma cujusq; rei per defini-
tionem ejus aptè exprimat. *Arist. lib. 1. Physic. cap. 7. text. 69.*

(b) Post *Wesenbec. Obr. tract. feud. lib. 2. cap. 10. n. 6. in fin.*

E Staurem Fidelitas (a) illa mutua, ejusmodi qualitas, qua præter certa quædam jura rem ipsam feudalem respicientia, (b) Vasallus & Dominus sibi invicem devinciuntur ita, ut Vasallus quidem Domino reverentiam, obsequium, taciturnitatem & servitia præstare; (c) Dominus verò Vasallo vices mutuas (d) reddere teneatur in iis, quæ æquitas & boni patroni officium requirit.

(a) pro differentia sc. feudi specifica, seu ipsa fide, sumpta: lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. ult. & tit. 5. qual. jurare. & 2. seqq. per tot. Aliter enim nonnunquam & pro juramento fidelitatis, seu parte investituræ altera (de qua supr. disp. 2. th. 12. & 14.) accipitur. lib. 2. F. tit. 4. quid preced. deb. & tit. 24. quæ fuit prima cau. §. Est & alia. in fin. & tit. 76. de fidelitate.

(b) de quibus plenius in disput. seqq.

(c) lib. 2. F. tit. 6. de forma fidel. & tit. seq. 7.

(d) d. lib. 2. F. tit. 6. §. ult.

XIX.

N Equè tamen una, sibiq; per omnia similis, est jurum & fidelitatis istius ratio: sed plura & varia occurrunt feudorum genera: quæ omnia tamen ad duo summa referri possunt: quod scil. omne Feudum aut Proprium (a) sit aut Improprrium.

(a) lib. 1. F. tit. 1. §. ult. & lib. 2. F. tit. 48. de feud. non hab. propr. quæ distinctio ab aliquibus & sic concipitur, quod Feudum aliud sit Rectum, aliud Degenerans: lib. 2. F. tit. 33. de consuet. rect. feud. Quanquam & ibi & alibi per Rectum feudum intelligi possit quod rectè & justè alicui jam est acquisitum seu ad aliquè pertinet. lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. §. 1. & tit. 20. de controv. int. Episc. & tit. 39. de alienat. pater feud. §. si inter Dominum. & tit. 82. prius possess. restit. & tit. 91. de invest. vet. & nov. benef.

XX.

Proprium feudum est quod per omnia habet propriam feudi naturam, quæ præcipuè ex his notis cognoscitur: ut primùm sit jus quoddam utendi fruendique aliqua, directò in ipsius Domini dominio manente: (a) Deinde, ut sit penes Vasallum irrevocabiliter, ita ut Dominus absq; ipsius culpa id ei auferre nequeat; (b) ipse autem Vasallus alienare quidem id sine consensu Domini non possit; (c) possit tamen id etiam invito Domino refutare, (d) & alii rursus sub infeudare: (e) Tertio, ut Vasallus pro eo Domino servire teneatur. (f) Quarto, ut sit jus perpetuum, (g) quod tam à parte Domini quam Vasalli in heredes transeat: (h) Quintò, ut à parte Vasalli transeat in heredes tantùm descendentes & masculos: (i) Denique ut ad heredes illos Vasalli transeat non jure hereditario, ita ut in eo ultimo cuiq; defuncto gradu proximus succedat; sed jure singulari, ita ut quocunq; gradu constitutus succedens, primo tantùm acquirenti succedere intelligatur. (k)

(a) *lib. 2. F. tit. 23. in quibus cau. feud. amit. vers. ult. non quidem simpliciter, ut in rebus Allodialibus obtinet: sed cum adjectione multorum aliorum jurium, quæ Vasallus præ alio usufructuario præcipua habet. de quib. plur. infr. disp. 5. aded ut res feudalis non omninò ipsius Domini, sed modo quoddam ipsius Vasalli videri queat. lib. 2. F. tit. 8. de invest. de re al. §. rei autem.*

(b) *lib. 1. F. tit. 21. de feud. sine culp. in princ. Eaq; in re potissimùm differt feudum à contractu innominato Do ut Facias: de quo supr. th. 7.*

(c) *lib. 2. F. tit. 52. de prohib. feud. alienat. per Lothar. & tit. 55. de prohib. feud. alienat. per Frid. quemadmodum nec Dominus omninò liberam juris in feudo sui alienandi potestatem habet. lib. 2. F. tit. 34. de lege Corrad. §. Est & alia. qua de re ut & refutatione & subinfeudatione plenius infr. disp. 6.*

(d) *lib.*

- (d) lib. 2. F. tit. 38. de Vasall. qui contr. constir. Lorhar.
- (e) lib. 1. F. tit. 9. qual. olim feud pot. alien. ibi, per feudum investiebat. & lib. 2. F. tit. 34. de lege Corrad. §. Similiter. 2.
- (f) lib. 2. F. tit. 23. in quib. caus. feud. am. vers. ult. & tit. 24. qua fuit. prima cau. §. item qui Dominum. 2. vers. Sed non est alia. add. inf. disp. seq.
- (g) d. lib. 2. F. tit. 23. vers. ult. Vnde hoc præsupponitur, quod debeat jus illud consistere in rebus soli, vel solo cohærentibus, vel pro immobilibus habendis. lib. 2. F. tit. 1. de feud. cognit. §. ult. ut indicat. etiam supr. th. 2. lit. 1.
- (h) lib. 2. F. tit. 24. que fuit prima cau. in princ. ibi, heredem Domini, & tit. 23. in quibus cau. feud. amit. vers. ult.
- (i) lib. 2. F. tit. 50. de nat. success. feud. & lib. 1. F. tit. 1. §. hoc autem 3. & tit. 8. de success. feud. & lib. 2. F. tit. 11. de success. fratr. De qua tota materia infr. disp. 8.
- (k) lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. sed etiam res, ibi, à communi parente. fac. lib. 2. F. tit. 26. si de feud. def. content. §. Titius filios & tit. 39. de alienat. pat. feud. in princ. Cujus observati discriminis effectus & utilitas, in variis juris articulis & quæstionibus quæ tùm de ipsa successione in feudo, tùm de amissione feudi, moveri solent, infrà suis quibusq; locis sese ostendet.

XXI.

Improprium feudum est, quod in uno (a) vel pluribus à propria feudi natura recedit: idque vel per se, cum in seipso quid continet, quod juri feudorum proprio non est conveniens: ut feudum rei mobilis, (b) vel consumptibilis: (c) feudum manens in curte Domini, (d) ut de Camera & de Cavena, (e) Guardia, (f) Castaldia, (g) Mercedis, (h) Soldatæ, (i) Habitationis, (k) item feudum Fœmineum: (l) vel ex pacto, cum personæ feudum constituentes expressè convenerunt de aliquo, quod juri feudorum proprio non respondet; (m) ut feudum pigneratitium; (n) feudum Francum; (o) feudum ex pacto ad Fœminas, (p) item-

C 2 que



que ad heredes jure hereditario (g) transitorium;
feudum pro quo certa & definita aliqua servitia, (r) vel
loco servitiorum certa pensio annua est præstanda &c.

(a) *fac. l. 1. ff. de R. I.*

(b) quòd in hac feudum non possit esse perpetuum. *not.
supr. th. 2. lit. i. & th. præced. lit. g.*

(c) quòd de jure ususfructus per rerum naturam esse non pos-
sit. *§. constituitur. 2. in fin. Inst. de usufr.*

(d) consistens nempe in re quæ omninò & tam quoad do-
minium utile (quod communiter Vasallo tribuitur *lib. 2. F. tit. 8.
de invest. de re al. §. rei autem*) quam directum (seu nudam pro-
prietatem *sapè dict. lib. 2. F. tit. 23. vers. ult.*) in dominio & pote-
state Domini remanet. *fac. lib. 1. F. tit. 4. si de invest. feud. §. si quis de
manso. 5. & tit. 5. quib. mod. feud. amit. §. ult. add. th. præced. lit. a.*

(e) Quæ nihil aliud sunt quàm obligationes seu jura qui-
bus Vasallus Dominum ad pensionem aliquam ex ærario (id e-
nim est Camera) vel horreo cellavé (quæ Cavena vocatur) sol-
vendam, astrictum tenet. *lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. §. si verò Va-
sallus.* Et ideò sunt feuda impropria, quòd ex iis Vasallus nullū
jus utendi in ipsa Camera & Cavena (quippe quæ ex se nihil
proferunt, sed id tantum quod iis inferitur, continent) conse-
quatur. (quemadmodum usufructuarius jus in re consequitur
ff. si usufr. per.) sed obligationem tantum & actionem contra
Dominum, qui quod solvat ex Camera vel Cavena depromit,
acquirat: *fac. l. 3. princ. ff. de Obl. & Act.* Et sunt deniq; pro diversi-
tate erogationum, seu causarum ob quas erogationes ejusmodi
ex Camera vel Cavena fiunt, diversa rursus & varia: ut sequen-
tia his protinus subiecta ostendunt.

(f) quòd alicui (plerunq; ex Camera vel Cavena Domini)
pro custodia arcis aut territorii alicujus præstatur. *lib. 1. F. tit. 2.
de feud. quand.*

(g) quòd alicui similiter, pro administratione rerum ad
Dominum pertinentium præstatur. *d. lib. 1. F. tit. 2.* quòd referri
possunt die Hofflehen/ eo nempe pacto alicui concessa, ut is vi-
cissim officio aliquo aulico, Dapiferi v. g. vel Pincernæ, funga-
tur.

tur. Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. ult. num. 15.

(h) quod alicui pro qualicumq; extra Custodiam vel Administrationem, officio alio præstari solet: ut feudum Advocatiæ, quod pro protectione alicui conceditur: *Idem dict. cap. ult. n. 17. & seqq.* Estque hoc Mercedis feudum, ut & feudum Guardia & Castaldia, improprium idè potissimum, quod non sit perpetuum, sed regulariter annuum tantum; & anno quoque elapso, etiam non restituto pretio, quo Vasallus id fortè redemit, revocari possit. *lib. 1. F. tit. 11. de pign. dat. feud. & tit. 2. de feud. Guard.*

(i) quod alicui gratis, & plerunq; in solidis, annua quaque die præstatur. *lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux. in fin. Guaden gelt oder ehen.* Estq; hoc feudum vel maximè improprium propterea, quod morte tum dantis tum accipientis finiatur. *d. tit. 10. in fin.*

(k) quo Vasallo conceditur ut gratis in domo vel arce Domini habitet: *lib. 2. F. tit. 75. de condit. feud. non impl. & tit. 105. de feud. habit.* Estq; improprium inter alia etiam propterea, quod morte ipsius Vasalli finiatur. *d. tit. 105.*

(l) quod improprium est ideo, quia ex eo ipso quod primum datum sit fœminæ, hanc naturam habet, ut jure successionis porro etiam ad fœminas pertinere possit. *lib. 2. F. tit. 30. de feud. fœm. add. disp. 1. th. 41.*

(m) permillum enim est, in investitura feudi, omnis generis pacta adjicere, quæ licet propriæ naturæ feudi non respondeant, servanda tamen sunt; dummodò vel ipsam feudi substantiam non evertant; (v. g. ne fides mutuo præstetur) aut aliàs iniqua sint vel injusta. *disp. preced. th. 17. lit. l.*

(n) quod quis pecuniâ ab alio, quasi in causam mutui acceptâ, creditori dedit hac lege, ut is illud interim sive pro securitate crediti, sive pro officio mutuationis, jure feudi & usufructus cujusdam teneat, donec ei pecunia credita reddatur: *fac. l. si is qui bona. 11. §. 1. ff. de pignor.* Seu, quod interventu pecuniæ comparatum est hoc pacto, ut libera sit Domino ejusdem redi-

C 3. mendii

endi potestas: quæ aliàs nulla esset. per alleg. supr. th. 7. & th. preced. lit. b.

(o) de quo convenit ut nullum officium præstetur, lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux. in fin. ibi, gratuita. & tit. 104. casus quib. fam. in feud. succed. in princ.

(p) lib. 1. F. tit. 1. §. hoc autem notandum. in fin. & tit. 8. de success. feud. §. ult. & c.

(q) Unde Interpretum distinctio, quod FEUDUM aliud sit EX PACTO ET PROVIDENTIA; quod scil. pacto & providentia primi acquirentis, intentionem suam secundum ipsum jus feudale conformantis, ejus est naturæ, ut jure feudorum proprio, de quo th. preced. lit. k. ad heredes transeat: aliud HEREDITARIUM; quod ex singulari & præter jus feudorum commune inito pacto, ejus est naturæ ut jure hereditario, & quasi ab ultimo quoq; defuncto, in heredem ejus transferatur: Idq; rursus vel ita, ut heredes ipsius Vasalli quicunq; h. e. sive ab intestato & quomodocunq;, sive ex testamento venientes, ad feudum pervenire queant: vel ita, ut heredes tantum ejus feudales (h. e. de sanguine ipsius descendentes masculi) jure hereditario & idè quod ipsius sint heredes, in feudo succedant. Obr. tract. feud. lib. 1. cap. 5. n. 136. & seqq. Atq; hæc ex mente Interpretum: cum aliàs & illud feudum quod ex ipso jure feudorum, etiam quoad successionem, proprium est, hereditarium dici possit. lib. 2. F. tit. 78. culp. unius ex cohered. Usq; adè ut si remotis Interpretum traditionibus judicandum sit, natura feudi quoad successionem impropria, ex folis verbis heredum vel hereditarii, argui vix possit; sed tum demum hereditaria illa qualitas in feudo agnoscenda sit, cum apertè satis de illa constituentium voluntate constat. arg. l. in obscuris. 114. ff. de R. I.

(r) veluti ut quis munus Dapiferi, Pincernæ & c. in aula sustineat, vel ut castrum certum defendat: ut supr. th. preced. lit. f. g. h. add. lib. 2. F. tit. 23. in quib. cau. feud. amit. in fin. & tit. 51. de Capit. an. qui cur. vend. §. ult. & tit. 104. cas. quib. fam. Regulariter enim servitia Vasalli incerta esse, & pro incidente Domini necessitate exigì posse & præstari debere, constat ex lib. 1. F. tit. 7. de nov. form.

(s) Re-

(f) Regulariter enim non munera realia, sed servitia personalia præstanda esse, ex antè dict. lib. 2. F. tit. 23. vers. ult. & lib. 1. F. tit. 7. satis apparet.

XXII.

IN genere autem de Natura feudi propria vel impropria hoc est tenendum, quod omne feudum regulariter jure feudorum proprio sit censendum: improprium verò in iis tantùm in quibus manifestò à communi feudorum natura recedit, habendum; in aliis autem omnibus communem & propriam feudorum naturam sequi, existimandum sit.

Ut notant & probant Dd. communiter. lib. 2. F. tit. 48. de feud. non hab. propr. nat. feud.

XXIII.

REferunt porrò ad formam feudorum pleriq; & istà distinctionem, quod feudum aliud sit Ligium, fidelitatem contra quoscunq; (a) aliud Non-Ligium eandem exceptis (b) quibusdam, contra cæteros præstandam continens: Quam & nos admittimus, hoc tantùm admonito, quod in facto potissimùm inspiciendum & ex pactis ipsorum constituentium petendum sit, quousq; fidelitas Ligii cu usq; feudi sese extendat. (c)

(a) lib. 2. F. tit. 52. de prohib. feud. al. per Loth. §. Satis bene. ibi. nullo anteposito. & tit. 93. factum fratrum frat. in feud. iisdem verbis. & tit. 99. de feud. lig. in pr.

(b) qualis semper intelligendus est Imperator vel Rex lib. 2. F. tit. 55. de prohib. feud. al. per Frid. §. ult. in fin. itemq; antiquior Dominus. lib. 2. F. tit. 28. hinc finit. lex. §. ult. in fin.

(c) Interdum enim Ligium feudum ita stringit, ut ex eo & persona & bona Vasalli Domino subjiciantur; nec libera sit Vasallo pœnitendi seu recedendi ab eo potestas: not. ex Bald. & Spec. Obrecht.

Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. 5. n. 115. & 118. interdum leuius tenet,
prout ipsis constituentibus placuerit: adeò ut interdum & il-
lud ligium (secundum quid scil. & respectivè) esse diciq; pos-
sit, in quo exceptus quidem est unus & alter; Vasallus autem in
reliquis quoad certos effectus arctius obligatur, quam regula-
riter alij consueverunt.

XXIV.

Atque hæc etiam de forma feudorum modò suffici-
ant. Dubia verò quæ circa hæc ipsa proposita ul-
terius moveri poterant, commodum satis
& magis proprium locum in se-
quentibus inuenient.

DEO GLORIA.



Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

M FEU-

38 / 389

1622, 2.

~~LXXII~~

A SEU
US FEU-

VR: VT ET

aribus col

Latin & Du

Francome

culum vgl

...

Dr. Jus

crud Arg

Promoto

Dr. Georg

VIDIS

TORIS ET

R-

PERGRINA

BOBURGO-Palat.

Dr. JOHANN

insul

TI,

LEDERTZ.